Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2611
Quelle:
Copyright:

XI. *fol.* 251. *Incipit tractatus de corpore christi domini bonauenture. Ad honorem gloriose ac indiuidue trinitatis. Et ad honorem excellentissimi sacramenti* &c. Extat sub titulo: *De Praeparatione ad missam*, in *Capita* XIV. divisus T. VII. *Operum Lugd.* 1668. p. 66. f.

DCLXXXIII.

574 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 162. 4. nitide perscriptus et quondam *Magistri Ja. friesbamer Canonici Ratisponen.* continet, quae sequuntur. I. *Tractatus magistri Johannis de franckfordia de Contractibus in vendicione et empcione.* Initium: *Vt in foro anime ubi spectator est deus, salubrius valeas consulere, queris a me, quomodo debeas hominem expedire in casibus contractuum* &c. XVI. *Conclusionibus* practicis definitur Consilium, e quibus variarum Rerum pretia illo aevo in *Palatinatu* obtinentia discuntur. Doctorem nostrum, de quo jam alias nobis mentio, non pertinere ad eos, quos hodie *Laxos* appellant, ex eo conjicias, quod *fol.* 2. p. 1. legitur: *Si homo ex proposito abstraheret vnum granum tritici uel vnam guttam vini quando bene crederet quod esset iusta mensura, et sic defraudaret proximum suum scienter, ille peccaret* &c. Subscriptio: *Explicit tractatus de contractibus scilicet de empcione et vendicione traditus per Magistrum Johannem* (de Diepurgo) *de franckfordia sacre theologie doctorem compilatus ab eodem Haidelberge.* Novit Tractatum hunc *Trithemius*, qui inter *illustres Viros Germ. fol.* 39. Autorem plurimum commendat, et a. 1430. claruisse tradit.

II. *fol.* 10. Brevis Expositio Orationis Dominicae, quae incipit: *Pater noster. Excelsus in creacione, suauis in amore, diues in hereditate. Qui es in celis* &c.

III. *fol.* 11. p. 2. *Honorii* III. Pont. Confirmatio Ordinis FF. Minor. jam ab *Innocentio* III. adprobati Data *Laterani III. kl. decembris pontificatus An. VIII°.* Incipit: *Solet annuere sedes apostolica* &c. et habetur in *Cherubini Bullario Magno* T. I. p. 66.

IV. *Fol.* 14. *Incipiunt interrogaciones que de scripturis sanctis et canonibus sacris in foro penitencie ad vtilitatem confitentium fieri possunt* &c. Pervadunt diversas Hominum conditiones incipiendo ab *Episcopis*, de quibus ita: *Si Episcopus non est Baptisatus irregularis est et debet Baptisari et iterum gradatim ordinari* &c. et desinunt in Examine de diversis speciebus Peccatorum et ratione injungendi Poenitentias. Opusculum adfine *Confessionalibus Antonini Flor. Barth. de Chaymis, Andreae Hisp.* &c. habetur etiam *Cod.* DCLXXXI.

V. *fol.* 26. *Joh. Gersonis* Tractatus IV. Primus subscribitur: *Explicit Tractatus de Arte audiendi confessiones d. Gerson viri utique celeberrimi.* Extat *Opp. T. II. col.* 446. Secundus inscribitur: *Tractatus cujusdam cujus supra*